



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 7. A terrenis gaudijs ac fugitiuis, æterna esse æstimanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. VII.

*A terrenis gaudijs ac fugitijs, aeterna esse
estimanda.*

Spectaculum vnius diei, aliquot horarū
conuiuium, symphonia breui tempore,
aures permulcens, magnum quid esse
putatur: maius putaretur, si per duos dies,
si per mensem, si per annum, duraret. Vni⁹
anni consulatus quanti est à Romanis fa-
ctus? longè pluris dictatura per quinquen-
nium continuata; aut regnum imperiū-
ue, tota vita, productum. Quanti ergo fa-
cienda est illa Diuorum sedes, ille honor,
ille triumphus & gloria, qui finem nesciet?
Si enim filij huius lucis, exiguis istis, &
ferè momentaneis bonis, sæpe ita capiun-
tur, vt se capere non possint; quo desiderio
exardescere debemus, si bona summa, in-
finita, sempiterna nobis preparata videa-
mus? In terris, vix acquirimus diuitias, &
rursus amittimus; vix attingimus dignita-
tes, & deponimus; vix gustamus volupta-
tes, & auellimur. In cælo possidebimus o-
pes, honores, delicias, non decem, centum,
vel mille annis, sed æternas, sed sæculis
nunquam desituris; quorum suauitas non
sensim, & per successum, sed tota simul per-
cipie-

cipietur, immensa quadam accumulatione, infinitorum bonorum, in infinitum atque æternum, simul ac velut vna collectione fruendorum.

§. VIII.

Omne gaudium terra finis vile, celi aternitas pretiosum facit.

Disce hinc, ô quisquis es, seu juvenis, seu senex; diues & pauper; nobilis & ignobilis, agnoscere terræ vilitatem, & rerum terrenarum fluxarumq; vanitatem: disce pretium cæli & cælestium dignitatem æstimare, mundóq; tandem contempto, dicere: *Heu quàm sordet terra, cum cælum aspicio!* Qui enim tanta, in terris, mala, & tantilla, tamque caduca bona esse videt; in cælo autem omnia stabilia, fixa, aterna, summa, & summè bona reperiri intellexit, vel fatuus est, & excors, vel ista illis anteposit. Imò illa omnia nullius esse momenti iudicat, si cum istis comparentur. Quidquid enim transit, postquam transijt, perinde est, ac si nunquam extitisset. Posside centum jugera, mille agros, imò mille regna; posside Cræsi opes; habe Xerxis potentiam, & omnem Persarum apparatus; omnem Sardanapali luxum; acquire quid-